



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

De S. Cecra Et CCLXX Martyribus In Africa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

# DE S. CECRA ET CCLXX MARTYRIBUS IN AFRICA.

J. V. H.

EX VARIIS MARTYROLOGIIS.

SECULO III  
VEL IV.Martyres,  
excepta Ceca,  
Afros  
fuisse satis  
constat :

B

ast minus  
certum quod  
Lepti passi  
fuerint :

C

In omnibus Martyrologiis primariis, Beda excepto, occurrunt hodierna die Martyres CCLXX, ut dubium nullum sit horum memoriam traditione antiquissimam inniti. Imo, si Florentinio credimus, nec ipse Beda eorum laudes tacet, quos sequenti die recenset. Ast fallitur Florentinius, cum nihil de Martyribus nostris neque hac, neque sequenti die habeat Beda, quem consule ad initium tom. II Martii. Afros quoque esse Martyres nostros, omnes annuntiant, si Rabanum excipias, qui Asia illos tribuit, scribens (a) : In Asia natale Cereæ et aliorum CCLXX. Opinatur Florentinius Rabanum quia Ceream vel Cœeram, quæ Asiana erat, conjunctam cum Martyribus repererat, in Asiam amandasse universam catervam ; eruditissimi viri conjectura optima esset, si certa constaret Cœeræ patria Asia, sed vel ipse conjecturam suam dubiam facit, dum in suo Martyrologio Hieronymiano ponit : In Africa Cæcæ (Cecræ) et aliorum pariter passio CCLXX. Cui consonat Hieronymianum editum a Luca d'Achery (b) : In Africa Cæcæ et aliorum pariter passorum. Romanum quoque parvum ex Bibliotheca Ottoboniana, quod in calce Adonis edidit Dominicus Georgius, Romæ anno 1745, habet : In Africa natale Etere (Cecræ) et aliorum Martyrum CLXX. Ex quibus omnibus videtur incerta Cæcæ patria, quam Notherus distinguit a reliquis Martyribus et limpidè ponit (c) : In Asia Cæcæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. Cui aliquatenus consentit Nothero antiquior Wandelbertus in Martyrologio metrico, utpote qui, omissa Cæcra, solum CCLXX pugiles memorat (d).

2 Satis itaque liquet Martyres CCLXX Afros esse ; sed Maurolycus, quem secuti sunt Auctores Martyrologii Parisiensis anni 1727 et Antisiodorensis anni 1751, non solum Afros dicit, sed Lepti quoque passos commemorat ex vetustis codicibus, qui alios adhuc latuerunt. Leptis quidem duplex est Magna et Parva ; illa quidem Tripolitana provincia metropolis ; hæc vero Byzacena civitas episcopalis, ut habet D. Ruinart in Victore Vitensi de Persecutione Vandalica. Verum siquidem Lepti passi fuerint Martyres, omnino Leptis magna tamquam palæstra assumenda est, cum adjungat Maurolycus apud Leptim seu Tripolim, quod cum Lepti magna unice quadrat. Id tamen probe cum Stephano Morcelli nostro animadvertendum, urbem nullam tum temporis in Africa Tripolim fuisse (e) ; sed Tripolitana provincia novem tres illius tractus urbes dedisse, Cæam, Sabratam, Leptim magnam. Electione Strabonis probabiliter vitata, sunt qui censent Leptim magnam eandem esse urbem ac Neapolitanam Provinciam Tripolitana, etenim dicit : Νεάπολις ἡ καὶ Λεπτὴν καλοῦσι ; sed præter vitium grammaticale, mendum obrepisse suspicatur laudatus Morcelli, ac legendum censet : Νεάπολις καὶ ἡ Λεπτὴν καλοῦσι (f). Cæterum quæstionem dirimit Plinius ibidem citatus, cum diserte Leptim a Neapoli distinguat : Ibi (in Provincia Tripolitana) ci-

vitæ, inquit, Cæensis. . . Oppida Neapolis, Taphra, Abrotonum, Leptis altera, quæ cognominatur Magna. Distinctionem arguit quoque Morcelli ex eo quod Junius episcopus Neapolitanus post Cæensem episcopum qui Sabratensis et Leptimagnensis vice tunc functus est, subscripsit Concilio Carthaginensi sub Cypriano anno 256 (g). Recte concluderet argumentum, si episcopi in dicto Concilio secundum ordinem Provinciarum subscripsissent ; sed inspicienti patet promiscue sententiam dixisse, ita ut x loco reperitur Mommillus episcopus Girbitanus, Provincia Proconsularis, medius inter episcopos Numidiæ et Byzacena.

3 Quo vero tempore martyrium passi sint CCLXX, longe difficilior est quæstio. Card. Baronius quidem arbitratur tempore persecutionis Vandalicæ passos, ejusque opinioni favent Romanum parvum quod Adoni in editione Georgiana præfigitur : SS. Martyrum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus eorum et aliorum CCLXX pariter coronatorum Vandalica persecutione. Ado quoque eujus initium ad verbum excerptis Usuardus : In Africa natale sanctorum Martyrum CCLXX pariter coronatorum, et sanctorum Martiani et Satyriani cum duobus fratribus, etc. Notherum etiam patronum hujus sententiæ scribit Dominicus Georgius in annotationibus ad hunc diem ; sed nescio quo fundamento, quum in suo Martyrologio (h) diserte distinguat Martyres nostros a Martiniano et Saturiano eorumque sociis : In Asia, inquit, Cæcæ. In Africa CCLXX pariter coronatorum. Item Sanctorum Martyrum Martiani, Saturiani cum duobus fratribus, etc. Quibus verbis, maxime interposita particula item, clare utramque Martyrum turmam distinguit Notherus, quin tamen quæstionem temporis attingat.

4 Res confecta esset, nullusque dubitaret martyrium CCLXX pertinere ad persecutionem Vandalicam seu sæculum quintum, si tuto stare liceret, tacente Nothero, auctoritati horum Martyrologorum. Sed obstat imprimis ipsorum cum aliis Martyrologiis discrepantia, quum nude CCLXX ponunt, quin Martiniani ejusque sociorum mentionem faciant, ut patet ex Hieronymianis supra allatis ; dein cum Adonis et reliquorum narratio ex Victore Vitensi de persecutione Vandalica desumpta sit, solius martyrii Martiniani, Saturiani cum duobus eorum fratribus meminit Victor, non omisurus profecto triumphum CCLXX pariter coronatorum. Tandem, teste Sollerio nostro (i), in genuino textu Hieronymiano vix ulla est mentio Martyrum Afrorum in persecutione Vandalica, imo Florentinius ad hunc diem fatetur se hujusmodi mentionis non meminisse, unde sequitur Martyres nostros ante Constantinum passos fuisse. An vero tertio sæculo, ut in margine notant Martyrologia Parisiense et Antisiodorensis supra laudata, non ausim decernere, cum nulla mihi occurrat ratio probabilis, cur eos tertio potius sæculo quam initio quarti passos fuisse asseram.

(a) Canis. Antiq. Lect., t. II, part. II, p. 344. Edit. Basnag. — (b) Spicil., t. II, p. 20. Edit. Paris, an. 1733. — (c) Canis. Antiq. Lect., t. II, part. III, p. 180. — (d) D'Achery Spicil., t. II, p. 51. (e) Africa. Christiana, t. III, p. 320. —

(f) Ibid., t. I, p. 242. — (g) Labbe, t. I, Conc. col. 786. — (h) Canis. Lect. Antiq., t. II, part. III, p. 180. — (i) Pref. Martyrol. Usuardi, p. xxxviii.

omnium vero  
incertissimum tem-  
pus.  
E

quoad sæcu-  
lum III, vel IV  
restringitur.  
F

DE



A

D

DE SS. SATURNINO, NEREO, MIREO, AUFIDO  
ET SOCIIS CCCLXV MARTYRIBUS,  
IN AFRICA.

J. V. H.

EX MARTYROLOGIIS.

SEculo III,  
VEL IV.Hi Martyres,  
perperam  
Hispaniæ ad-  
scripti,

B

ad Africam  
pertinent,

C

**F**lorentinius luxatos suspicatur codices, qui hos martyres mira varietate referunt, ut vix reperiantur bini vel terni qui accurate inter se conveniant. Intricatam quæstionem facile solveret Tamayus in suo Martyrologio Hispanico, si tuto hunc duce sequi liceret; scribit enim: Cluniæ in Hispania Citeriore Sanctorum Saturnini et Nerei cum CCCLXV sociis, qui pro Christi confessione in Diocletiani et Maximiani impia persecutione comprehensi gloriosum martyres compleverunt agonem. Habemus palæstram martyrii Cluniam, coloniam Romanam in Hispania Citeriori, seu in Provincia Tarraconensi, ut habet P. Florez, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in suo eruditissimo opere España Sagrada (a). Habemus tempus martyrii, persecutionem Diocletiani et Maximiniani. Verum cum ipse Tamayus non alios fidejussores suæ annuntiationi præbeat quam Pseudo-Dextrum, ejusque sequaces aut commentatores, cordatus quisque ad fabulas amandandam censebit splendidam martyrii annuntiationem (b).

2 His omissis, antiquiora et genuina Martyrologia adnotant hac die, licet cum aliqua inter se diversitate, SS. Martyres Saturninum et Nereum, quibus pleræque Hieronymiana addunt Mireum et Aufidum. Sic Martyrologium Hieronymianum Corbiense sæculi XI apud Lucam D'Achery (c): In Africa Cæcrae et aliorum pariter passorum ducentorum septuaginta; Merii, Aufidi, Saturnini, Nerei. Aliud Martyrologium S. Guillelmi de Deserto seu Gellonense, quod ineunte sæculo IX exaratum est, apud eundem Luc. D'Achery (d): Africa, Cæcrae, Marei, Aufidi, Marianæ, Nerei. Confusa hic duo elogia videntur: tum interpolatione Marianæ, quæ in Gellonensi sequenti turmæ, in aliis

sequenti die cum Nino, Victoria, Nobilitana conjugenda esset; tum omissione Saturnini, qui constanter in reliquis exemplaribus cum Mireo et Sociis laudatur. Cum vero Florentinius in suis codicibus Sanctos quatuor Martyres invenit, nullus dubito Saturnino et Nereo Martyrologii Romani Aufidum et Mireum adnectere.

3 Sed quod Cardinalis Baronius adjiciat catervam CCCLXV martyrum, advertit Castellanus in suo Martyrologio universali gallice edito, Hieronymianos codices omnes tacere de hac numerosa cohorte CCCLXV. Quare et Florentinius facile inclinaret in sententiam hanc turmam eandem esse cum Martyribus CCLXX de quibus supra jam actum est, nisi, ait, Romani Martyrologii emendati auctoritas diversos hos esse suaderet, dum se junctum ab illis et in alia classe reposuit, ex veteribus Mss., ut ibi addit Baronius. Cæterum Martyres Afros fuisse, varia edicunt Martyrologia, tacentibus aliis, in quibus est Romanum: nisi fortassis particulam item pro ibidem interpretari luberet, quod tamen illo sensu non facile admittitur. Major est etiam obscuritas circa tempus passionis. Galesinius citans Victorem Vitensem de Persecutione Vandatica sæculo V martyrium illigat; sed hoc, ait Baronius, divinare est, cum nullius auctoritate probetur. Porro cum ex Hieronymianis Apographis profuat hodierna annuntiatio, ante pacem Ecclesiæ sub Constantino Imp. redditam passos esse hos Martyres autumare licet. Propterea martyrium sæculo III vel IV accidisse opinor. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, dicit Saturninum fuisse presbyterum; sed, ut videtur, nullo nexu idoneo testimonio: unde plerique tacendo, hanc dignitatem S. Martyri abjudicant.

eorumque  
passio ad sæ-  
culum III vel  
IV referenda  
videtur.

E

(a) T. XXIV, part. II, p. 426. — (b) Cfr. Nic. Antonii Censura de historiis fabulosas, l. V, XII, § 6. — (c) Spicil.,

t. II, p. 20. Edit. Paris 1723. — (d) Ibid. p. 35.

F

DE SS. LEONTIO, DOMITIO, TERENCE ET DOMNINO  
MARTYRIBUS, CULTIS A GRÆCIS.

SYLLOGE.

TEMPORE IN-  
CERTO.SS. Leontius,  
Domitius,  
Terentius et  
Domnius e  
solo Marty-  
rologio me-  
trico noti.

**E**cclésiæ Græcæ Martyrologium metricum, editum a Sibero, et e magnis Græcorum Menzibus collectum, sacrum hodierno die exhibet manipulum, de quo alius Martyrologus, quem sciamus, nullus mentionem facit: adeo ut hic locus sit ex Siberi assertioni, qua in præfatione sua notat Græcorum Martyrum absolutissimam memoriam in hoc Martyrologio metrico exhiberi; adeo, ut quos omnes reliqui scriptores ignorant, his tantum atque unice reperiantur. His autem Sanctis Græcis (e cultu scilicet Græci

æstimandi sunt) hæc latina sunt nomina: Leontius, Domitius, Terentius et Domnius; de quibus in laudato libro hos habes versiculos:

Τρεῖς Λεόντιε τοὺς συναβλοῦντας ἔχων,  
Δεόντιόν τι τῆς πυρᾶς ἄλλη μέσον.  
Commilitones tres habet Leontius,  
Leonis instar in rogi flammæ ruens.

Atque hæc e Martyrologio metrico hausta Sanctorum Martyrum memoria, unicum nobis documentum est, quod eos a nobis oblivioni dari non sinit.

DE